



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651


Capvt V. Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

42 Cap. IV. Misericordia in acquirendis, retinendis, & amittendis diuitijs,
 unico fortuna iactui, quod uterq; nummorum haberet, permitterent.
 Victoria penes regem fuit. Conarius partim iactura nummorum, par-
 tim scommate illudentis ei regis exacerbatus palma regem in faciem per-
 cussit, & noctis ac tenebrarum beneficio enasit. Mane postredie perqui-
 situs, & repertus, graui Iudicij sententia ad mortem damnatur. Sed
 rex quam primum intercessit, liberè confessus coram omnibus parū pec-
 casse Conarium, plurimum se in isto negotio. Nam primò prouocasse se
 Conarium ad ludendum; vrsisse deinde, in totam secum luderet summās;
 non quemuis in tanta nummorum iactura ira temperare posse; se dignā
 pœna esse, qui sua Maiestatis non habuerit maiorem rationem. Condo-
 nare igitur se, & plagam, & culpam Conario. Gratiā insuper ei se de-
 bere, qui vna plaga sapere eum docuerit, & à lenitate in futurum reuo-
 carit. Serio autem se hac dicere, vt Conarius certo sibi persuadeat ar-
 gumento, fore beneficium nouum. Et cum dicto afferri iussit omne au-
 rum, quod & posuerat ipse, & à Conario ex lucro acceperat; idq; alla-
 tum Conario in manus tradidit. Magna hæc regis virtus fuit, & he-
 roici pectoris exemplum; sed in Conario apparuit, quantus sit do-
 lor, pecuniam vel per ludum atque iocum amittere. Suprà osten-
 dimus in Antonio Vrceo Codro, quantam in mœstitiam, immò
 infaniam eum coniecerit, vel amissus incendio liber. Innumera
 sunt exempla, quæ docent, fluxa isthæc bona longè maiore cum
 dolore perdi, quàm labore quæri. Et subscribunt rotis cateruis
 agminatim occurrentes viri fœminæq; , lamentantes, quòd hosti-
 lis vel flamma, vel rapina eos dispoliârît. Quibus vel hoc solatij
 potest esse, quòd iam nihil debeant ampliùs metuere, quia nihil
 possunt ampliùs amittere.

C A P V T. V.

Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio?

I.  Aborem, curam, dolorem afferunt opes, vt dixi, non
 tamen ex se, sed eorum culpâ, qui laborant, curant, aut
 dolent. At vnumquodq; non hominum, sed rerum pondere
 indicandum est; ait S. Hieronymus, nec diuiti obsunt opes, si bene v-
 tatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit. Et D. Augusti-
 nus: Vt non eritis, non pecuniam in diuite, sed auaritiā condemnari:
 aduertite, quod dico. Respicias in illum diuitem stantem iuxta te: & for-
 tē in 112

S. Hieronym.
 ep. ad Salui-
 an.
 S. August. in
 Plal. 51.

re in illo est pecunia, & non est auaritia; in te non est pecunia, & est auaritia. Hæc culpabilis, & propter hanc illa vitabilis est; non quia mala, sed quia, si in malos incidit, auaritiæ sit nutrimentum. Quare sicut auaritiæ reprehensio redit in diuites, non in diuitias, ita neque in authorem diuitiarum; qui bona tribuit, quæ non nisi hominum abusu mala fiunt. *Itaque qui male diuitijs utitur, teste S. Gregorio Nazianzeno, miserabilis est, ut ille qui sponte se vulnerauerit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumserat.* Accipiuntur enim opes, ut alij opem possint mortales suppeditare; at illi in suam perniciem eas conuertunt. Hinc Chilon dicere solebat, *Quod Lydius lapis est auro, id aurum esse homini.* Lapis enim index affricu prodit, quale sit aurum; ipsum autem aurum arguit, quale hominis ingenium inueniat. Nimirum ut gallinæ arancis pinguescunt; ac rursus ut scarabæi ipso oleo, quo alij viuunt, occiduntur; ita boni etiam malis bene, & mali bonis malè vtuntur. Quia verò non mala tantum, sed etiam occasiones malorum sunt vitandæ; age etiam hoc nomine contemptum diuitiarum suadcamus. Neque enim hæc imitandus nobis est. Q. Fabius Maximus, qui cum, capto Tarento, agerentur omnia ferrenturque, interroganti scribæ, quid fieri de dijs vellet (tabulas & signa innuebat) traditur respondisse: *Deos iratos Tarentinis relinquamus; planè qui pessimè vellet, diceret: Aurum, & opes rem periculosam auaris relinquamus;* & inimici vox est: *Hæc omnia tibi dabo, omnia scilicet regna mundi, & gloriam eorum.* Sed aliter Christus consulit, aliter de diuitijs loquitur, nouit enim, quam messem hæc seges ferat; seges bona; sed apud malos in lolium degenerans. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos, & desideria multa & noxia. Non timetis? *Audite quod sequitur, Quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Non times? radix est omnium malorum, auaritia. Auaritia est esse velle diuitem, non iam esse diuitem. Ipsa est auaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum?* ait S. Augustinus. Et Chrysostr. *Diuitiarum sequela, est luxuria, ira intemperans, furor inuisus, arrogantia superba, omniaq; irrationabilis motus.* Verè Poëta pecuniam alloquitur:

F 2

Laërt. invita
Chilonis.

Plutarch. in
Fabio.

Matth. 4. 8.

S. Aug. serm.
205. de temp.

S. Chrysostr.
lib. Quod
nemo lædi-
tur, nisi à se-
ipso.

Tu

*Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.*

Propert. l. 3.
& 7.

II.

Eccli. 11. 33.

Luc. 16. 9.

2. Paralip.
22. 1.

Cant. 2. 13.

S. Chrysoft.
homil. 7. de
pœnit.

S. Asterius
homo. de auaritia.

Et si enim bonus possit esse vsus diuitiarum, tamen valde difficilis est, atque in earum possessione ingens est periculum æternæ damnationis. *Si fueris diues, non eris immunis à delicto.* Diuitiæ diabolo sunt pro visco, pro laqueo; sunt pro ansa omnis peccati; immò ad eò annexa sunt diuitijs peccata, vt ipsæ quoque quodammodo diuitiæ peccata dici possint. Hinc Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* mammonam iniquitatis vocat, non solum, quia sæpe diuitiæ iniquè sunt acquisitæ, sed etiam quia possessæ non rarò sunt causa iniquitatis, vel occasio. Ita olim, *cùm roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum; dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo.* Neque enim ipse solus Roboam, regni viribus auctis, sed etiam populus cum eo à Domino recessit. Ad eò sæpe plus peccatur in regno valido, quàm afflicto. Quamobrem, Sexto Aurelio teste, Imperator Traianus solebat dicere, *diuitias esse sicut splen:* splene crescente, non bene est homini, sed vix incedere, vix respirare potest; ita crescente pecunia, crescunt morbi animorum; neque in via virtutis sinitur facilè ambulare, qui est copiosus; immò propemodum vix habet facultatem respirandi, aut ad cælum suspirandi; cùm interea animæ pauperum tantò expeditius ad cælum subuolent, quantò sunt minùs onerata: *Surge, propera, amica mea, columba mea,* ait sponsus. Columbam vocat, quia hæc vix habet lienem; vnde perniciousè volat, quemadmodum animæ diuitijs carentes. Diuitiæ etiam vriticæ sunt, citò vrunt; spinæ sunt, facilè pungunt; immò sicut inter, vepres, viperæ, colubri, aliæque bestię virulentæ commorantur, ita inter opes omnis generis venena. *Opes luxuria occasio,* ait S. Chrysoftomus, *malitiæ schola, turpis & defluenti vitæ causa, animæ corruptela, via ad diuersa ferens mala; cursus nullum habens bonum, his, qui abutuntur se.* Hinc fures, hinc murorum fossores, domestici transfuga in semetipsis fursi morbum nutrientes. Quid multis? Est in abundantia rerum caducarum scopulus, est fons, & quædam Lerna malorum, est radix omnium vitiorum. *Auaritia omnium radix malorum,* ait S. Asterius, *innumera ex se vitia progignens. Sicuti enim ij, qui aurum in sinu visceribusq; terra scrutantur, auream glebam*

glebam circa principem & proprium generationis locum, cumulatim repositam inueniri narrant, & aliquas inde velut venas, in longum hinc inde produci. Sicut arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices: Ad eundem modum imagine non minùs impropria auri & auaritia, multa video germina, multosq; surculos una, eademq; stirpe auaritia coniuñctos. Quæ in genere dicta speciatim pereuremus.

A superbia initium sumamus, vnde initium sumit omne peccatum, quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Atque proprius diuitiarum vermis est superbia, teste S. Augustino, cui elidendo vt essent pares Philosophi, operam dederunt maximam, vt moderarentur elationem ex affluentia externorum bonorum, diuitiarum scilicet & potentia. Hæc moderatio, Christianis humilitas vocatur, quæ cohibet animum, ne insolescat, cum se homo copiosarum facultatum possessorem, & multis alijs imperitantem conspicatur; simulque efficit, ne ægrè ferat, quod his destitutus, eo in pretio non sit, apud vulgus, in quo sunt ceteri, qui his rebus abundant. Hinc Philosophum se videri volentem, qui tamen turpe ducebat, quod patre natus esset inope, his verbis increpat Epicæterus: *Estne turpe tibi, quod ipse non feceris, cuius tu causa non fueris? Quod alia ratione tibi euenit, quemadmodum dolor capitis aut febris? Si parentes tui fuerint inopes, aut alios reliquerint heredes, aut dum viuunt, tenuiter se sustentant, ignominia scilicet inde ad te redundat nulla. Nec pudenda hæc tibi cense. Discere scilicet illud potuisti ex Philosophis. Numquamne audiuisti, turpe id esse, quod sit dignum ignominia? id verò aliud esse nihil, quàm cui sit illudendum? Quisnamne porro est, quem irrides in eo, quia ipse non fecerit? Tunc verò patrem tuum effecisti talem? an in potestate est tua, vt rectius illa se habeant, qua ad ipsum pertinent? Permissumue id tibi est? Quid ergo oportet? Num velle ea quæ in manu tua non sunt? aut sista non consequare, timenda turpitudine & ignominia? Inculcat ex hac radice pullulantem superbiam suam & Seneca*

his verbis. *Vehiculum, inquit, in quod depositus sum, rusticum est. Mula vinere se ambulando testantur; mulio excalceatus, non propter atatem. Vix à me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum. Dirat adhuc peruersa recti verecundia. Quoties in aliquem comitatum lautiozem incidimus, inuitu erubescio. Quod argumentum est, ista qua*

F 3

probo,

III.

Eccli. 10. 35.
S. Aug. serm. 5. de Dom. & ser. 212. de temp.

Epicæter. apud
Arrian lib. 3.
cap. 26.

Senec. ep. 87.

probo, quae laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Quae sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci, nondum audeo frugalitatem palam ferre, etiam nunc curo opinionum viatorum. Vides vermem superbiae? Vides quid ex opum aestimatione sentiant ij, qui ceteris sunt sapientiores?

IV.
1. Tim. 6.

S. August.
hom. 13.

Quid illis contingeret, quos diuitiae regunt, & agunt quod volunt? Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa, & noxia, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Pecunia delectat, non timet, ait S. Augustinus, Bona res est pecunia, bona res est magna pecunia. Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta, & noxia, non times? Desideria quod ducunt, time. Quid est quod ducunt? Quae mergunt, inquit, homines in interitum & perditionem. Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? Ceterum his, qui iam diuites sunt adhuc, consilium dedit Apostolus; Praeceptum, inquit, diuitibus huius mundi, non superbe sapere. Vermis diuitiarum superbia est. Difficile est, ut non sit superbus, qui diues est. Tolle superbiam, diuitia non nocent. Sed attende, quid inde facere debeas, ne vacet apud te, quod largitus est Deus: Non superbe sapere. Ista vitia tolle, neq; spera in incerto diuitiarum. Tolle & hoc vitium. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabae, alius tritici; vermis autem diuitiarum est superbia, ex eiusdem Patris testimonio. Quid ita? Qui nummos habet, habet quo se vestiat splendide, quod splendide epuletur, quod splendide aedificet, quod magnos famulorum greges alat, quod magnificas pompas instruat, quod se aliorum ope, alios autem sua indigere existimet. Hinc se circumspicit, alios contemnit: hinc alta cogitat, & nullis se non sufficere sumptibus arbitrat. Phryne meretrix facta est, ut fieret opulenta; opulenta euasit, ut fieret superba; & quidem ut de ipso turpissimo quaestu superbiat. Nam, teste Athenaeo, Thebas se muris circumdaturam pollicebatur, si haec seriberent: Alexander exortit, Phryne meretrix reparauit. En quanta superbiae radix e pecunia? Nimirum grauis viri verbum est: Nemo vult esse diues, nisi ut inflatur inter eos, inter quos vult: & superior illis videatur. Postquam ergo diues factus est, postquam inflatus est, iniquitatem apponit super iniquitatem, ut dicat

Athen. l. 12.
esp. 22.

S. Augustin
in Psal. 48.

dici possit: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Sunt enim, ait D. Augustinus, mali, sed macie mali, idè mali, quia macri: id est, exiles, exiguitate quadam necessitatis affecti, & ipsi mali, & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpotranda aliqua iniquitas. Tamen aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Diues abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, huius ex adipe processit. Idè macrocòm dicit: Quare hoc fecisti humiliter afflictus & abiectus respondet: Necessitas coëgit me. Quare non timuisti Deum? Egestus compulit. Dic diuiti, Quare hac facis? & non times Deum? Si tamen tantus es, qui possis dicere, vide si vel dignatur audire: vide si non etiam in te ipso prodiet iniquitas ex adipe eius. Iam enim preceptoribus, & correctoribus suas inimicitias indicunt; & sunt inimici, verum dicentibus; iam sueti palpari verbis adulantium, aure molli, corde non sano. Quis dicit diuiti: Malè fecisti rapiendo res alienas? Aut fortè si ausus fuerit aliquis dicere, & talis est, cui non possit ille resistere, quid respondet? Totum in contemptu Dei loquitur. Quare? quia superbus est. Quare? quia pinguis est. Quare? quia deuotus ad victimam est. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Transierunt in dispositionem cordis. Ibi intus transierunt. Quid est, transierunt? Excesserunt metas humani generis, homines se pares ceteris non putant. Transierunt, inquam, metas humani generis. Quando dicit tali homini: Frater tuus est iste pauper, eosdem parentes habuistis, Adam & Euam; noli attendere tumorem tuum, in quo eleuatus es: & si te circumstant familia, & si numerosum aurum & argentum, etsi domus marmorata continet, etsi tecta laqueata contegunt, simul te & pauperem contegit tectum mundi calum: sed diuersus es à paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis. Te in illis vide, non illa in te. Attende te ipsum qui sis ad pauperem: te ipsum, non quod habes. Quid enim despicias fratrem? In visceribus matrum uestrarum ambo nudi fuistis. Certè etiam cum de ista vita exieritis, & ista carnes exuta anima fuerint putrefactæ, dignoscantur ossa diuitis & pauperis. De conditione loquor aequali, de ipsa sorte generis humani, in qua omnes nascuntur. Et diues enim hic fit, & pauper non semper hic erit. Et sicut diues non venit diues, sic nec diues abscedit. Idem ipse utriusque introitus, & par exitus. Addo, quòd fortè mutabitis vicu. Sicut diues ille epulo, & pauper Laza-*

rus

Psal. 72:
S. Augustin.
in Psal. 72.

rus mutauerunt. Quæ à S. Patre dicta sunt, vt ostenderet, vermem diuitiarum esse superbiam, quæ ex adipe prodit, & ipsâ pauperum, quos despicit, comparatione detumescit, videt enim eorum finem suo esse meliorem; vnde cognoscere potest, etiam principia eorum suis principijs præstare. Nam sicut inopia est virtutum occasio, ita diuitiæ omnibus criminibus viam aperiunt. Quid enim mores magis corrumpit, quàm nummi? Nam, vt vidimus, non nisi qui nummos habent, superbè vestiuntur. Sine pecunia nulla emitur purpura; gemmæ, armillæ, torques, pretio constant. Inopia non patitur habitum sumtu insolentem. Computationes, conuiuia, ebrietates, ibi abundant, vbi abundant facultates. Vbi maior auri copia, ibi maior auaritia: & *quandò minus rerum, tantò minus est cupiditatis*. Hinc lites, hinc rixæ, hinc cædes, hinc odia, & bella oriuntur. Qui habet satis, non indiget labore, otio igitur est obnoxius. At otiosus quid est, nisi puluinar diaboli? libidinis lectus, ager vitiorum. Eapropter & olim homines ante diluuium ex abundantia rerum in otium; ex otio in luxum; ex luxu in lamentabilem illam totius mundi calamitatem inciderunt. In Brasilia barbari, quia ob cæli clementiam nec vestitu indigent ad frigora arcenda, nec aratro ad victum comparandum, sed omnia sponte proueniunt, idcirco omnibus flagitijs cooperti sunt, & ritu bestiarum degunt. Nempe vbi maior egestas, maior honestas; & abundantia rerum, inopia est virtutum. caret ergo multis pedicis paupertas, quæ cum rerum affluentia remouet materiam superbiam, ac omnium vitiorum. Cristas igitur demittit diues si seipsum rectè aspicit.

V.
Paul. Diac.
lib. 13. hist.
miscell. &
Baron. Ann.
no 417.

Psal. 36. 35.

Supercilium etiam ponere docetur, si ad finem respicit, omnis enim pompa diuitiarum, vno temporis momento, cum vita abit. Exemplum in Alarico Gothorum Duce exhibet Paulus Diaconus. Is Alaricus pecuniarum copia inflatus magis, quàm plenus, toto se auri non aceruos, sed montes possidere, omnem humanam opinionem excedentes, glorianter admodum iactabat. Vtque cresceret tumor, iam spe quoque Siciliam deuorauerat; & sibi super hostium capita gradi videbatur. Sed subitò in illo contigit, quod Propheta dixit: *Vidi impium superexaltatum, & elenatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quasi enim, & non est inuentus*

inuentus locus eius. Siquidem dum iam iam traicere in Siciliam exercitum cogitaret, inciso consilio, frustra fuit. Quin etiam in Consentia regione, subita morte inopinataque extinctus est. Nec satis fuit, opes amisisse, amisit etiam sepulturæ honores, utq; memoriam quoque sepulturæ non haberet. Gothi illico Basentium amnem à suo alueo, per alium tramitem, captiuorum labore, deflexerunt. Vbi aqua defecit, & deficcatus est alueus, Alaricum ibi cum magnis opibus sepeliuerunt, rursusque fluuium in alueum suum reuocârunt, ut terris pariter & aquis regeretur. Ac ne memoria illius vlla extaret, aut sciri ex quoquam posset, vbi vel ossa, vel opes illius essent, captiuos omnes, qui auertendo flumini interfuerunt, & locum tumuli cognitum habuerunt, è medio sustulère. Ita qui *superexaltatus & elenatus erat, sicut cedri Libani*, in transitu esse desijt, & non est inuentus locus eius, cui locus antè ædificatus fuerat palatium magnificum, cui spectacula & cœnacula erigebantur sumtuosa, jam nusquam apparet; neque tumulus eius apparet, quin & thesauri ipsi cum funere euauerunt. Si speramus æterna, cur tantopere quærimus peritura?

Vt veniant gemmae, totus transibitur orbis:

Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit.

Annua solliciti consumunt vota coloni,

Et quanta mercedis erunt fallacia rura,

Quæremus lucrum nauis, mortemq; sequemur

In prada, pudeat tanto bona velle caduca.

Auaritiam quis monstrum esse neget? eadem & mater est, & filia diuitiarum; parit enim illas, & paritur ab illis. Quia cum pecunia, ut dictum est, crescit cupiditas pecuniarum: & inde etiam illiberalitas; ut sæpe nemo magis *parcus, tenax, retractus & restrictus* sit (qui omnes in dando deficiunt) quàm qui plus habet. Videbis talem tantum intentum ad accipiendum, numquam ad dandum. Timebit semper, ne necessarijs destituatur, aut ne turpe aliquid committere cogatur. Quod vitium nonnulli ex opibus aiunt Simonidi accessisse. Ille enim ut parcitatem tegeter, dicebat: *malle se mortuum inimicis benefacere, multis post se relictis, quàm vinum amicis egere.* Est hydropi similis auaritia, & pecunia aquæ. Ab hydropico *Quò plus potantur, plus sitiuntur aqua:* ita quò plures

G

nummi

Manil. lib. 4.
Astron.

VI.

Aristot. lib. 4.
Ethic. c. 1. v

Aristot. ibid.

nummi accipiuntur ab avaro, plures appetuntur. Hinc alter ordo pullulat auarorum apud Aristotelem, de quo ait: *Nonnulli verò in accipiendo excedunt, dum & undecumq;, & quodcumq;, accipere non verentur. Ut sunt qui illiberalia opificia exercent, & lenones, & id genus ceteri, & fœneratores, qui etiam parua magnis cum usuris accipiunt. Qui quidem omnes, neq; unde debent, neq; quantum debent, accipiunt. Addit ibidem: Communis autem his omnibus turpis quaestus videtur. Causa enim lucri (atque eius parui) opprobria subeunt. Nam qui magna, unde non oportet, & qua non oportet, accipiunt, ut tyrannos, qui urbes populantur, & templa diripiunt, non illiberales, sed improbos potius, sed impios, sed iniustos appellare consuenimus. At aleator, & fur, seu spoliator & latro ex illiberalibus etiam ipsi sunt, cum turpi lucro dediti sunt. Virig, enim lucri causa negotiantur, & opprobria sustinent; & hi quidem pericula maxima acceptionis causa subeunt. Illi ab amicis, quibus dare deberent, lucrentur. Vtrique igitur, cum unde non oportet, velint lucrum comparare, turpi lucro dediti sunt. Quid quòd quidam à Superis, alij aliunde ex re qualibet ærarium locupletare non verentur? Quale illud barbarici Midæ votum fuit?*

Quid. lib. 11.
Metam.

effice, quidquid

Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.

Auditus est, accepit dona nocitura; versa sunt omnia in aurum, quæ contrectauit, sed & cibus, & potus.

*Attonitus nouitate mali, diues q;, miser q;.**Effugere optat opes, & qua modo voverat, odit.**Copia nulla famem releuat, sitis arida guttur**Vrit, & inuiso meritis torquetur ab auro.*Sueton. in
Vespas. c. 23.
Baron. An-
no 330.

Quàm sordido lucro Vespasianus vrinae vectigal in toto Imperio exegit? Quòd tamen ad publicas amphoras in angiportis, ad vrinam in fullonum vsum excipiendam repositas fortasse fuit arctatum. Baronijs, negotiatoribus impositum censet, quod Græci Imperatores, ex vrina & alui purgamentis, vbicunq; deijcerentur, in vectigal exegerunt; & Chrysargyrum, quasi aurargentum nominabant. Quòd quale fuerit, Constantinus Manasses in Anastasio (qui precibus ascetarum quorundam dedit, ut illud abrogaret) sic exponit. *Omnes viri, mulieres, puella, pueri, infantes, mendici, liberti, serui, liberi, nomine stercoris & vrina, fisco nummum argenteum pendo.*

pendebant. Idem onus etiam iumentis impositum erat, bobus scilicet, mulis, & equis. Pro qualibet autem cane ac asino, sex folles numerabat is, qui canis asinive dominus esset. Caligula materiam præuenit, dum ex edulij, quæ tota vrbe venirent, certam summam tributi nomine exactam; itemque ex singulis litibus quadragesimam rei de qua lis esset, componendi, aut donandi facultate interclusa: & ex diurnis quæstibus gerulorum partem octauam; denique ex infami lucro meretricum certam quantitatem collegit. Crudelius adhuc accenderunt opes Michalélem Paphlagonem Orientis Imperatorem, de quo Cedrenus memorat, eum super ceteris vectigalibus voluisse sibi pro cuiusque facultatibus numerari tributum ex ipso aère locorum, quæ quisque possideret. Eò etiam spectat titulus, apud Harmenopolim, de pænis aeris. Itaque sicut olim Iudæis summæ asperitatis voto à Pescennio Nigro responsum prodit Spartianus: Vos terras leuari censitione vultis, ego verò etiam aërem vestrum censere vellem: ita aduersus Christianos, Imperator nomine tenus Christianus, re ipsa præstitit, dignus, cui igni, & aqua & aère interdiceretur, & quæ nec terra sustineret. Videri potest Lipsius, Theophil. Raynandus, Adamus Contzen & alij. In Iustiniano, inquit Euagrius, tam inexplebilis fuit pecunie cupiditas, & tam turpis, atq; adeò absurda rerum alienarum appetitio, ut omnia subiectorum bona his, qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, immò innumerabiles, & bona multa possidebant, causa falsa commentitiaq; conficta omnibus fortunis mulctauit. Quòd si qua mercatrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens consuetudinem se vllam cum eo vel coniunctionem habuisse simularet; statim omnia iura ac leges, modo Iustinianum turpis lucri socium constitueret, eius causa euersa iacuerunt; facultatesq; omnes illius, qui falsò in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translata. Quis non exclamet: Execranda famæ auri, sitis improba nummi!

Qui mare bibunt, plus sitiunt, quia falsum est, ita qui opes acquirunt, acquirunt vnà & opum cupiditatem; quin & audaciam spemque maiorum diuitiarum adipiscendarum; quia cum pecunia potentiam acquirunt, qua inferiores deprimant. Quocirca eiuscemodi principem aut regem Homerus δημοβόρον, hoc est, populiorum

Iust. Lipsius
lib. 4. Polit.
cap. 11.
Raynand. l. 4.
de Virt. & Vi-
tijs. cap. 20.
n. 221.
Contzen in
Politicijs.
Euagr. lib. 4.
cap. 29.

VII.

Homerus
lliad. at. mod

Pſal. 13. 4. & puluorum appellat. Et Dauid ait: Nonne cognoscent omnes, qui ope-
 Pſal. 52. 5. rantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis? Sed
 Iob. 20. 14. quid tali accidet? Panis eius, in utero illius uertetur in fel aſpidum
 Genef. 1. intrinſecus. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius ex-
 Pſal. 38. trahet eas Deus. Nam quamquã in imagine ambulet homo, ſitq; ad ima-
 S. Auguſtin. ginem & ſimilitudinem Dei factus, tamen vanè conturbatur. Audi
 in Pſal. 38. conturbationem eius, ait S. Auguſtinus, & vide, ſi non eſt uana, ut cal-
 ces eam, tranſlias eam, & habites in excelsis, ubi non eſt iſta uanitas.
 Qua uanitas? Theſaurizat, & non cognoscit, cui congregabit ea. O in-
 ſana uanitas! Beatus cuius eſt Dominus ſpes eius, & non reſpexit in uanitates,
 & inſanias mendaces. Delirare tibi uideor, auare, cum hac lo-
 quor, anicularia tibi uidentur hac uerba? Tu enim uidelicet homo ma-
 gni conſilij, magnaq; prudentia, excogitas quotidie genera acquirenda pe-
 cunia, de negotio, de agricultura, fortaſis & de eloquio, de iuris conſul-
 tatione, de militia; addis & de ſenore. Homo cordatus nihil pratermit-
 tis omnino, unde nummus ſuper nummum, & in occulto diligentius ac-
 quiratur. Deprædatis hominem, cauens deprædatorem: quod facis, times
 ne patiaris, & in eo, quod pateris non te corrigis. Sed non pateris, pru-
 dens enim homo es: bene ſeruas, non ſolum bene colligis. Habes ubi po-
 nas, cui committas, quo modo nihil pereat ex eo, quod congregaſti. In-
 terrogo cor tuum, diſcutio prudentiam tuam. Ecce collegiſti, ecce ita ſer-
 uaſti, ut nihil poſſis amittere eorum, qua ſeruaſti. Dic mihi cui ſeruas?
 Non tecum ago, non commemoro, non exaggero quidquid mali habet
 auaritia uanitatis tua: hoc unum propono, hoc diſcutio, quod mihi dat
 occaſio lectionis huius Pſalmi. Prorſus colligis, theſaurizas: non dico ne
 forte, dum colligis, colligaris: non dico, ne forte, cum uis eſſe prado, ſis
 prada: hoc apertius eloquar. Fortaſis enim cæcus auaritia, non audiſti,
 aut intellexiſti: non dico, inquam, ne forte, cum uis eſſe prado minoris, ſis
 prada maioris. Non enim ſentis eſſe te in mari, nec cernis minores piſces
 à maioribus deuorari. Non dico iſta, non dico difficultates & pericula in
 ipſa conquiſtione pecunia: quanta patiantur, qui eam colligunt, quam
 in omnibus periclitentur, in omnibus panem mortem uideant: tranſeo hac
 omnia. Prorſus colligis, nullo contradicente; ſeruas nullo auferente;
 excute cor tuum ac prudentiam tantam, qua me derides, qua me inſi-
 pientem putas, hac loquentem, & dic mihi, Theſaurizas, cui congrega-
 bis ea? &c. In quam rem narrat S. Gregorius Nyſſenus hominem
 auaritia

S. Greg. Nyſſ.
 hom. in uſur.

auaritia absorptum, non solùm in suos plus quàm credi posset parcum, sed etiam in seipsum, iusto Dei iudicio, neque sibi, neque filijs suis, quod collegerat, collegisse. Nam cum magnam vim auri comportasset, cui gryphis in modum incubaret, subita morte extinctus est. Itaque quia nemini vlli thesaurorum suorum latebras indicauit, filios familiamque vniuersam pauperrimam reliquit: qui omnes stultitiam patris detestati sunt, vt qui asperitatem in se & suos dum viueret, summa egestate moriens cumulârit. Theaurizauit iste, sed nesciens cui congregaret. Alioqui S. Bonauentura auarum porco similem esse scribit, qui non nisi mortuus utilis est alijs, cum quæ sibi soli in vita collegerat, in morte alijs relinquat, animam diabolo, corpus vermibus, opes amicis. Iste autem ita industriè egit, vt opes eius ne filijs quidem relinquerentur. Quibus igitur? nesciunt, quinam thesaurum illum reperturi essent, amicinè, an inimici, malè gratias acturi.

Ob hæc talia, non solùm non gaudendum est thesauris acquisitis, sed neque amissis dolendum est. Quis enim prudens dolet, vanitate erepta, & veritate inuenta? Quis non latatur vinculis, quibus tenebatur, diruptis? & catena, qua in exitium trahebatur, à se ablata? Quamquam opes, non superbix tantùm auaritiæque sunt instrumenta, sed, vt D. Chryostomus ait, *diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus.* Nemo quia diues est, duos ventres habet; & tamen plerique ita comedunt, quasi duos ventres habeant opulenti. Quis enim dapes adornat Iouiales? quis exoticos pisces, peregrinas aues, vina trans maria vecta apponit? quis Apitium agit, aut Sardanapalum? nonnè cuius marsupium turget? Vel ipsi opifices, quoties, quod tota hebdomade, assiduis laboribus, corraferunt, vbi die vltimo nummulos acceperunt, die primo cauponam adeunt, & degulant, quidquid in sequentem hebdomadem suffecisset? Ætolos, ob victûs magnificentiam, ære proprio consumto, oppressos alieno scribit Polybius. Opulentia nimirum superbos, superbia prodigos facit; prodigalitas demum opes rursum decoquit, quas auaritia collegit. *Crasso pecunia magnitudo locupletis nomen dedit. Sed eidem postea inopia turpem decoctoris suggestionem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præ-*

G 3

stare

S. Bonauent.
in dicta salutis tit. 1. c. 4.

VIII.

S Chryl. lib;
quod nemo
læditur, nisi à
seipso.

Polyb. lib. 13.
hist. Athen.
lib. 12. c. 10.
Valer. Max.
lib. 6. c. 9.

stare non poterat, venierunt. Ita quoq; amara sup̄gillatione non caruit: quia cum egens ambularet, *DIVES* ab occurrentibus salutabatur.

Athen. lib. 12. cap. 17. Callias Atheniensis, Diomnesti Eretrici diuitias malè partas ita dilapidauit, vt apud vetulam quamdam barbaram viuere cogere-
tur, victusq; quotidiani inopia laborans, mortuus sit. Vides in-
quanto *circuitu impij ambulent*? Nummos ad se trahunt, vt ma-
gnes ferrum. Nummi eos trahunt ad profusionem. Hæc iterum
eos præcipitat ad paupertatem. Ita sursum deorsum aguntur ar-
genti amatores. Acilio Butæ prætorio, postquam totas inter po-
cula noctes transegisset, somno impendisset dies, patrimoniumq;
ingens consumpsisset, paupertatem suam agnoscenti, *Serò*, inque-
bat Tiberius Imp. *experrectus es*. Nempe antea inter viros diuitia-
rum erat, *qui dormierunt somnum summum*. Quid mirum, si, qui in-
somno ac dormientes ambulent, & se, & omnia sua profundant?

Valer. Max. lib. 6. cap. 9. Non possum hîc omittere Themistoclis adolescentiam, in qua ei pater abdicationis notam inussit, mater propter filij turpitudi-
nè coacta est suspendio vitam finire. Qui luctus hodieq; multis ma-
tribus accidit, quæ sæpe plorant, pectus tundunt, crines lacerant,
Superosq; obtestantur, ob acerbos liberorum casus, in quos non
inciderent, nisi matres ipsæ furiosis arma ministrarent. Nisi enim,
clam patre, eis pecunias suppeditarent, non haberent, vnde di-
scerent ludere, pergræcari, nepotari; sed necessariò ad eiusce-
modi luxus sumtu destituti, honestis artibus, ludo litterario, so-
brietati, virtuti se dederent. Diseant hi parentes à Phocione Athe-
nienfi filios tractare, cui cum pecuniarum aceruus à Philippo re-
ge Macedonũ dono mitteretur, nequaquam accipere voluit. Hor-
tantibus autem oratoribus, vt etsi ijs carere posset, filijs tamen eas
acciperet, quibus esset valde difficile, paternam dignitatem in-
tanta paupertate tueri, respondit: Si mihi fiant similes liberi, hic
idem agellus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit.
Sin dissimiles, nolo eorum luxuriam his opibus alere. Dignus de
quo sit diu inter Græciæ Sophistas quæsitum, Maiorné Alexan-
der esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contempsit? Præstat
vtrique filios pauperes habere, quàm per diuitias ducere ad prodi-
galitatem, vnde rursus inopes facti, mendicare cogantur, veri
Salacones. Apud Suetonium *C. Caligula Imp. non habuit vt filiam
dotaret.*

Sabellio. l. 8.
cap. 5.
Sueton. in
Caligula.

dotaret, obsumtus citra modum factos: stetitq; Calendis Ianuarijs in
 adium vestibulo, ad captandas strenas, & stipes, quas plenis ante eum
 manibus ac sinu diuersa turba fundebat. Tam pauper euasit vel nimia
 largitione, vel immodica auaritia ille, qui aliquando super immensos au-
 reorum acervos, patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spaciatus est, &
 toto corpore grunientium porcorum instar aliquamdiu volutatus. Vides
 vt vitia se mutuò destruunt, cùm virtutes vsque adeò sibi inuicem
 non aduersentur, vt sæpe omnes in vno pectore reperiantur? Ad
 quantam pecuniæ penuriam recidit Fridericus Imp. II. dum Cæ-
 sarum antiquorum magnificentiam & rerum splendorem, editis
 spectaculis æquare conatus est. Vtinam non etiam hodie multos
 magnificentiæ nomen ita inescaret, vt dum parasiti, & adultores,
 & scenæ, & theatra omnia absument, Christo, & eius pauperibus
 nihil superfit; immò, vt ne ipsismet. Luculentum exemplum in
 Euangelio proponitur. *Homo quidam habuit duos filios: & dixit ado-
 lescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me con-
 tingit. Et diuisit illis substantiam.* Quàm longè melius fecisset, si ei
 non annuisset? Mansisset utique cum illo. Nunc profectus est in re-
 gionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.
 Si nihil attulisset, non aperuissent ei domum suam meretrices.
 Nota ars harum muliercularum. Luxûs igitur & luxuriæ instru-
 menta sunt opes, quæ hominem à Deo separant, & in longinquam
 regionem auellunt. *Regio longinqua*, ait S. Augustinus, obliuio Dei
 est. Et S. Ambrosius: *Quid est, inquit, longinquus ire, quàm à se re-
 cedere? nec regionibus, sed moribus separari? studijs discretum esse, non
 terris? & quasi interfuso luxuria secularis astu diuortia habere sancto-
 rum? Etenim qui se à Christo separat, exul est patria, ciuis est mundi.*
In regione longinqua, ait S. Augustinus, illi erant, qui sedebant in te-
 nebris, & umbra mortis: & illi, vt Theophylactus ait, de quibus
 dictum est: *Qui elongant se à te, peribunt. Longè enim est Dominus ab
 impijs, & orationes iustorum exaudiet.* Quod vtrumque in filio pro-
 digio contigit. Adeptus facultates, quæ ei iure hæreditatis obuenu-
 rant, nondum tamen debebantur, abiit in regionem longin-
 quam: sed vbi eas amisit, pauper factus, & redactus non tantùm
 ad incitas, sed etiam ad siliquis porcorum, vexatione intellectum
 dante, in se reuersus, dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei ab-
 undant.*

Æmil. lib. 7.

Luc. 15. 11.

S. Aug. lib. 2.
99. Euang.
cap. 33.
S. Ambros. in
c. 15. Lucæ.

Isa 9. 2.

Psal. 72. 27.

Prou. 15. 29.

Luc. 15. 17.

undant.

undant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, &c. Ecce quo modo fames, quo modo inopia eum in viam reuocat, qui aberrauit? Ecce quomodo paupertas ad patrem reducit, quem abundantia in regionem longinquam abstraxit? Et adhuc copiam præ inopia amamus? adhuc putamus, malè nobiscum agi, si nobis aufertur, quod nocet; & datur quod prodest? *O cæcas hominum mentes! Utinam illud sæpe repeterent: Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet.*

- IX. Malè oculis affecti, qui muscam non vident, saltem vident; elephantem. Nos quoque ijs, qui dicta non æstimant, tamquam minora, maiora afferamus, vt oculi cæcorum aperiantur. Siquidem & maiorum malorum causa sunt opes. Notum est illud Sallustij: *Diuitia, & imperia, bella atque certamina inter mortales excitant.* Si bella, quæ publica sunt, quantò magis discordias priuatas? Verè Poëta: *Certamen mouistis opes.* Duæ erant familiæ inter se multis titulis connexæ & amicæ, eorumque capita viri sancti; & tamen facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Qua, obsecro, de causa? *Erat substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.* Videns igitur mille confligendi causas esse inter diuites, ait Abram ad consobrinum suum charissimum: *Ne, quaeso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est; recede à me, obsecro.* Si igitur inter Sanctos hos diuitiæ & pax non potuerunt simul habitare, quas tricas non dabunt inter peccatores, qui domi, qui foris, in foro & curia, vnius oboli causa, peierant, blasphemant, & funestas tragœdias meditantur? Nouerat hanc opum naturam, sapientissimus Ioseph, qui redeuntibus ad patrem fratribus suis dixit: *Ne irascamini in via.* Cur hoc dixit ijs, in quibus tantam vidit animorum coniunctionem, tantumque amorem, vt omnes pariter, pro minimo fratre Beniamin liberando sese obtulerint in seruitutem dicentes: *Omnes serui erimus domini mei?* Quid ergo suspicatus est, eisdem in via exarsuros in iram? Dederat fratribus suis non solum frumentum, sed insuper etiam *eis dedit plaustra, & cibaria in itinere, & singulis profertur iussit binas stolas, & Beniamin dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis; tantundem pecunia & vestium.*

uestim mittens patri suo. Cùm ergo sciret pecuniam esse matrem discordiarum, litiumque semen, quia *dedit eis ex omnibus diuitijs Egypti*, prudenter eos monuit, ne inde ansam arriperent vel inuidiæ, quòd minimo plus dedisset, vel iræ, quòd huic talem, alij aliã stolam dedisset. Qualis discordia existere potest, vel inter ipsos quoque Religiosos paupertatis non amantes, si vident alium habere meliorem pileum, recentiore togam, nitidius pallium, pulchrius breuiarium; sæpe etiam ob elegantioré iocundulam: aut si ob calceos magis attritos sibi datos, sunt in fermento. *Certamen monistis, opes.* Denig, quò quisque plus habet rerum, eò plures habet sollicitatores & insidiatores.

Vt autem dissidia ex opibus germinant, ita & vindictæ appetitus. Qui enim videt, sibi deesse vires ad vindictam, fert, quod ferre cogitur. At qui nouit, sibi neruum esse, cristas erigit, & surgit in iras. Immò ad hoc optantur, & quærentur opes, vt ijs noceri possit, qui iniuri sunt. Hoc ipso damnanda, quia sic quærenda. Scitè D. Chrysofomus: *Sed vindictam, inquis, inimicorum sumere aliter non possum.* Hæc verò est maxima causa, propter quam execranda sunt diuitie, & amanda paupertas; istum enim gladium, quæ dicis, acunt aduersum te; faciunt enim te præuaricatorem mandati illius: *Mibi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Vis autem videre, quantum mali habeat cupiditas vindictæ? Misericordiam DEI aufert ab homine, & gratiam iam concessam renocat, & infringit. Scriptum est enim in Euangelio, quòd is, qui talentorum multorum debitor fuerat, & veniam à domino precatu, a domino impetrauerat; cùm conuersus ad seruum suum, qui ei parum pecunia debebat, hoc est, ei qui parum in eum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam scilicet sumere, & ob quod immitis fuit erga indigentiam serui, ipse de se tulit sententiam, vt non solum iam concessa non frueretur indulgentia, sed & tortoribus traderetur, atq; vniuersi debiti summam, cum supplicio solueret ac pœna, & ita, pro desiderio vindictæ, munus perdidit indulgentiæ diuinæ. Pro his, quæso te, expetenda videntur diuitie, vt tibi facilior sit ad interitum via? Nonnè pro his maxime oportebat eas veluti grauissimum inimicum vitari?

Quid quòd non priuatæ duntaxat inimicitia, ob pecunias, gliscunt, sed etiam odia in publica bella, propter opes erumpunt?

H

Atque

Michiel P.
cent. obli.
us. Hiltor.
de Pontic.
decedit. c. 4.

X.
Pius ex.
pla de ludo.
tium.
C. Com.
lib. 4. Chon.
Polo. duc.
ton. in. d. u.
de. c. 1. P.

S. Chrysof.
tract. quòd
nemo lædi-
tur, nisi à se-
ipso.
Rom. 12. 19.

Matth. 18.

XI.

Michael Piccartus obseruat. Historico-Politicarū Decad. 6. c. 4.

Plura exempli sic ludentium sunt apud Mart. Cromerum lib. 6. Chron. Polon. Sueton. in Augusto c. 71. Plutarch. in Artaxerxe.

S. Ambros. lib. de Nabuthæ. c. 4.

Atque ut quàm damnosa sint hæc lucra, appareat, sæpe à ludo incipitur, & ad arma venit. Post Sleidanum Thuanus, nescio qua fide, hæc scribit: *Causas odij inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauritium Saxonia principes gentiles aliqui has adducunt. Cùm in alea lusu Mauritius, omni pecunia amissa Septemuirum ad continuandum ludum, deposito oppidulo improbius urgeret, eo itidem amisso, Mauritium à Septemuiro increpitum fuisse, admonitumq; , ut in posterum in ludendo modum seruaret. Illum verò reprehensionis acerbiter grauius iusto tulisse, statimq; agnato suo, ex ea causa, bellum intulisse, quod vix tamen Hesi soceri interuentu compositum sit. Sic luditur in terris, quod totis bellis luendum est. Priuatorum exempla sunt quotidiana, eorum, qui tota ludendo patrimonia perdunt, & qui eò ludendi libidine prouehuntur, ut omnibus bonis exuti seipfos in seruitutem abducendos pecuniæ opponant. Quin ad remigandum damnati, vbi per decem annos, aut etiam plures durissimam seruitutem seruierunt, elapso damnationis tempore, audent sæpe, pro vili precio ludere, seque denuo ad remos ducendos mancipare. Tantus amor est pecuniarum, ut non solum rixas, odia, bella excitet, sed etiam in seipsum arma conuertat. Immo plerumque, dum in alios, quos expilat, grassatur, in seipsum quoq; sæuit. Verissima enim sunt illa D. Ambrosij: *Diuites, eripitis quidem pauperibus vniuersa, aufertis omnia, nihil relinquitis, pœnam tamen pauperum vos potius diuites sustinetis. Illi ieiunant, cùm non habeant; vos ieiunatis, cùm habeatis. Vobis igitur prius pœnam exigitis, quàm pauperibus erogetis. Vos igitur, vestro affectu, luitis misera paupertatis arumnas. Et pauperes quidem non habent, quo utantur: vos autem nec ipsi vtimini, nec alios vti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursus absconditis. Quorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur, cùm legeritis de auaro diuite: *Thesuros condit, & ignorat, cui congregat eos? Hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd serò moriamini. Odit incrementa hereditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum, cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illam totis mœstiam diebus toleratis famem, quotidiana mensa vestra damna metuentes. Propter illum diuturna adamatis ieiunia. Noni ego diuitem in agrum proficiscentem, panes breuiore urbe delatos numerare solere; ut pro numero panis asimaretur, quot dies in agro su-***

zurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiari posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei onum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ego scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei iniustitiam, qua lachrymas pauperum vestro ulciscatur iniunio. Hæc Ambrosius.

Quæ confirmantur quotidiana experientia eorum, quibus pecunia est pro anima, argentum pro sanguine, aurum pro vita; nam hanc malunt fundere, quàm nummos perdere. Quæ S. Asterius grauitè & disertè his verbis confirmat. *Anarus propinquus est odiosus, famulus grauis, amicus inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atq; sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdumq; sollicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens ac differens, eorum more, qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt, deniq; cum omnibus abundat, tamquàm omnium egenus ingemiscit; presentibus non fruitur; qua absunt, anxie quaritat; proprijs non vititur; & ad aliena oculos adicit. Multi (inquit) in istius grege agni: stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota reguntur. At si pinguem & bene habitam onem vicini videris, misso proprio grege in vnã, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quæ de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum edes coangustat, sine vsu, sine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis potest, quisquis insatiabilis: estq; domus eius similis conditorijs, siue sepulchris, qua saepe plena sunt auro atq; argento, cum qui utatur existat nemo. Corpus auari non alitur; anima nihil lucratur, quia non exuberat è dextera eius elemosyna. Quis autem laboris & erumna finis? Dicat eorum aliquis, quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam cum in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & astiment. Nam si fortè medicus remedium eis parabile prescribit, ac parui pretij, ex apio puta, thymo, vel anetho, qua passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperant. Si verò medicamentorum eiusmodi mentio, que ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex vnguentaria petenda sunt, animam potius exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum cum mente & cogitationibus terreni sint, terrestriù possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.*

Quid jam mirum, si in alios sauit, qui amore diuitiarum se ipsa

XII.

S. Asterius
hom. de auaritia.

XIII.

ipsum occidit? Priami filius Polydorus, initio belli Troiani, ad Polymnestorem Thraciæ regem, cum magna vi auri à patre missus, ut si contingeret Troiam capi, ipse genus & urbem posset instaurare; auri cupiditate, à rege barbaro interfectus est. Quod Poëta, his versibus deplorat.

Virgil. lib. 3.
Æneid.

*Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus, furtim mandarat alendum
Troicio regi: cum iam diffideret armis
Dardanie: cuiusq; urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fracta Teucrum, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,
Fas omne abruptit: Polydorum obruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?*

Tertull. in
Apolog. c. 37.

Neque in fabulis duntaxat hoc facinus desletur, sed etiam in sacris historijs, quæ docent avaritiam etiam mortuis esse infestam, quos de requie sepultura, ut Tertullianus loquitur, de *asflo quodam mortis, jam alios, jam nec totos*, affectu planè illiberali & muliebri, immò canino, auellit, dissecat, distrahit. Ad quam avaritiæ in defunctos feritatem auertendam, tradit Onuphrius, veteres consueuisse pretiosam vestè qua plerumq; cadauer inuoluebant, varijs locis conserpere ac forare, quòd alioqui rapacitati pateret, & abijciendi corporis occasionem ingereret. Indicant eum morem etiam ver-

Onuphr. lib.
deritu sepeli-
endi mor-
tuos.

Orig. in c. 1.
Iob.

ba Origenis, ad illud Iob: *Conscidit vestimenta sua*. Sic enim ille Iobum aduersarios affantem inducit. *Si me mortuum astimatis, o inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atq; regales meas vestes, ut nec post mortem gaudeatis eos possidentes*. Et addit: *Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cum pretiosam sepulturam cuiuslibet miserint, conscindunt eam: ne aliqui scelesti & ipsum corpus proieciant, & ipsam pretiosam sepulturam possideant*. Contra quod flagitium, more suo, luculentè disputat D. Chrysostramus, & Isidorus Pelusiota, qui videri possunt. Ex his satis apparet, neque mortuos à peccatis his manibus esse tutos atque incontaminatos. Quantò minùs securi erunt viuentes, quorum minor esse solet reuerentia? Est enim aliquid, quod natura in mortuis reueretur, & refugit lædere.

S. Chrysostr.
hom. 35. in 1.
ad Corinth.
Isidor. Pelus.
lib. 2. epist.
146.

Hanc

Hanc ob causam testatur Suidas, Aristippum Socraticum, nescio quò nauigaturum, seruulo de pecuniarum, quas ferebat onere conquerenti dixisse, vt eas abijceret. Postea easdem ipse in mare abiecit, cùm propter illas sibi à sceleratis nautis periculum instare videret. *Harum interitus, mea salus erit*, inquebat. Quam Philosophiam multi nolunt imitari. Malunt enim ipsi perire, quàm suas opes. Et pereunt plurimi, dum aurum secum, tamquam hostem suum, ferunt, alliciuntque prædâ prædones, dum interea cantat coram latrone vacuus viator. *Age*, inquit aureum illud os, tibi ostendam, quo pacto cupiditas te odio habet, & te relinquit. *Quo pacto contra te enses acuit, quot barathra effodit, quot struit laqueos, quot parat precipitia, vt hoc saltem pacto ardorem extinguas. Vnde autem hac cognosci possunt? Ex itineribus, bellis, mari, iudicijs. Siquidem & pelagus sanguine sæpenumero impleuit; & iudicium enses iniuste nonnumquam cruentauit; & latrones, qui noctu vias obsident, declinante die armat. Ipsa vt natura ignoraretur persuasit. Ipsa patricidas & matricidas effecit. Ipsa omnia vitia mala induxit. Quare radicem malorum Paulus eam appellat. Quam naturæ omnis oblitam crudelitatem*

XIV.

S. Chrysostr.
hom. 23. in h
ad Cor.

S. Asterius
hom. de auaritia.

S. Asterius his verbis delineat. *Hinc video filium capiti genitoris imminentem, & absq; vlla vel veneranda canitie, vel authoritatis patria reuerentia, longiorem senis vitam indignantem. Cùm enim copiam omnem domi largiter suppetere videt, cuius dominium penes ipsum non sit, eoq; potiri ipse cupit, & sui quoque juris fieri, gravis illi patria auctoritas ac potestas. Et initio quidem intra silentium sese continet, atq; reconditum morbum habet. Aucta dein paulatim cupiditate, & animo tumente, repente malum prorumpit, non aliter quàm è fistulis & canalicibus aqua vis. Tum ille misero seni prorsus intolerabilis, viuumq; tantum non effert ac valentem. Si equum agiliter conscendit, miratur & adstupet. Si largius & bene sanus cibum sumit, fert agrè, secumq; murmurat. Si famulos ad opera & ministeria manè excitat, vigilantiam bonamq; valetudinem senis gemit ac dolet. Quòd si aliquod cimelium alicui donauerit, aut seruum manu miserit, tum nullius homo pretij ac delirus audit: tum quasi viuendi regulam ac præscriptum transgressus, alieniq; prodigus ac profusus, conuitijs atq; probris omnibus proscinditur; longioris hęc vitæ, & spiritus non statim emissi reus. Tui isti, scelerata auaritia, fructus, Tuo impulsu & incentiuo filius parenti inimicitias denunciat.*

Valerian.
hom. 20.

nunciat. Tu complex terram latronibus, & homicidis, mare piratis, vrbes turbis atq; tumultibus, forum atque tribunal falsis testibus, sycophantis, proditoribus, aduocatis & iudicibus, eò propendentibus, quò tu pertraxeris. Avaritia mater inæqualitatis, immisericors, inhumana, crudelis. Hæc Asterius de cupiditate per opes accensa, quæ, teste Valeriano, in filio Parricidali animo aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat. Tueatur illum forè ab hoc crimine caussa debita hereditatis. Verum est. Sed quamquam legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet deniq; vnicus esse, si posset. Modo de patris morte cogitat, modo de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisquis hominum parentina mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hereditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter coheredes odia.

XV.

Exempla sunt innumera, etiam fratrum inter se agentium, quod egerunt, inter se Eteocles & Polynices Oedipi Thebanorum regis filij, qui defuncto parente, de hereditate & ditione dissidentes, contractis vtrinq; copijs, ambo se mutuis vulneribus interfecerunt. Eandem causam habuit Romulus, sed prætexuit, cum Remum occideret. Eandem in sacris historijs Ioram rex Iudææ, qui suam Athalia vxoris fratres interfecit. Eandem, vt tradit Volaterranus, habuit Aristobulus rex & ipse Iudææ, vt Antigonum fratrem, quem prius regni confortem fecerat, falsò insinulatum perimi iuberet. Compertum est, inquit Diodorus, Osiridem Egypto iuste regnantem a Typhone fratre impio ac nefario interemptum. Quem in sex & viginti partes dissectum cuiuslibet eorum, qui tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, vt ipsos defensores custodesset, regni fidos haberet. Polyphontes rex fratri necem intulit, quòd ab eo insidias & mortem sibi parari intellexisset. Herodotus alijq; scribunt, Cambyfi Persarum regi visum esse per quietem, venisse sibi nuncium, qui diceret, Mergidem fratrem solo sedere regio. Qua ille visione consternatus, Perexaspem Persam ad eum interimendum misit. Mamertes cum Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnandi libidine permisset, ab ipso Sisaphone membratim laceratus est. Rhesus Maximi & Ameriæ filius fratrem Simulum in venatione vita priuauit. Sallustius quoq; affirmat Iugurtham Manastabolis filium nequam fratres

Hel. lib. 4. c. 3.

fratres

fratres suos Adherbalem & Hiempfalem Micipsa patrum sui filios exanimasse, ut solus Numidis imperaret. Atque ut ad nostra tempora propius accedamus, Isaacius Angelus Imperator ab Alexio fratre (quem à Turcis captum redemerat) per summum scelus, oculis, imperio, & vita priuatus est. Feugo quoque Horuendilius Danorum regem fratrem suum insidijs circumuenit, atque ubi paricidio datus est locus, cruenta manu funestam mentis libidinem satiauit, ut eo mortuo regnaret. Gregorius Turonensis memorat, Herminefredum Bertarium fratrem vi oppressisse, ut soli sibi tranquillijs & securijs, apud Thuringos liceret regnare. Fernandus rex Castellæ, Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, ut Nauarram ipsam suo adijceret regno. Vique adeo libido principandi non præscribit sibi modum. Eandem ob regnandi causam, Drahomira matre instigante, Boleslaus Vratislai Bohemorum regis filius fratrem Wenceslaum æquitatis & religionis obseruantissimum principem, & Abeli iusto persimilem, è solio & vita eiecit. Denique, Orodes Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secundum fratrem suum Babylonis obsedit, factaque ditione, in conspectu omnium, quamuis supplicem contrucidauit. *Deus te perdat, ambitio,* inquit ille,

*Qua fratres armis in fratrum viscera, quæque
Securum à nato non finis esse patrem.*

Neque enim, ut supra ostendi, in fratres tantum sauit amor diuitiarum, parentum ipsorum iugulos petit. Nam, ut Plato queritur, Ardicus Pamphylis tyrannus patrem senio confectum, & fratrem natu maiorem morte affecit. Mithridates tanta feritate fuit, ut matrem, fratrem, & insuper sex liberos crudelissimè è medio tolleret. Cosroes rex Persarum senio confectus Medarsen filium regni hæredem instituit, ob quam causam ab altero Siroche natu maiore peremptus est. Agminatim sese historiae, & quidem admodum luculentæ, offerunt, in quibus opes leguntur filijs chariores fuisse, quam fratres & parentes.

Potestne aliquid parente charius esse? potest, & debet, nempe **DEVS**. Quò igitur ulterius potest progredi insania pecuniarum, quam ut Deum ipsum vendat, eique argentum anteponat? **Ad hunc malitiæ apicem ducit nummus.** Euangelium ipsum audi.

Saxo Grammat lib. 3.

Io. Dubravius lib. 5. hist. Bohem. Surtius in vita S. Wenceslai 28. Septemb.

Plat. lib. 303 de Rep. Cæl. lib. 16. lect. Antiqu.

XVI.

TINO

- Matth. 26. 14. *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principem sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde querebat opportunitatem, vt eum traderet.* Tanti fuit, apud perfidum, pecunia, vt triginta argenteis venderet Deum. Sed de hac Iudæ scelerata prodicione, in peculiari libro, satis multa memoravi. Hic illud non possum omittere, quàm plurimos esse Iudæ imitatores, qui Christum non solum Iudæis, & veneficis in sacra hostia conuulnerandum vendunt, sed eo etiam abnegato, amore diuitiarum, sibi novos Deos faciunt. Hoc est enim, quod apud Osee-
- Osee. 2. 8. *Queritur Dominus: Argentum multiplicauit eis, & aurum, quæ fecerunt Baal.* O miseros homines, ad quid dat vobis Deus argentum & aurum? An ad hoc, vt ex ijs idola Baal, & vitulos aureos conficiatis? Nam & filijs Israël olim Deus donauit thesauros Ægyptiorum, quibus illi non vsi sunt in eleemosynas, non in aliū piū vsum, sed ad vitulum ex eo constandum, vt inde Deum offenderent, vnde locupletati fuerunt. Queritur id meritò etiam per
- Ezech. 7. 20. *Ezechielem: Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo.* Neque hie illi tantum tanguntur, qui ex auro, louis, aut Æsculapij, aut alterius ficti Numinis statuam fundunt, coluntque, sed omnes auari. Nam & Apostolus *auaritiā, quæ est idolorum seruitus*, idololatriam vocat. Et si enim quidam dixit, *nullas nummorum ereximus aras*, Plutus tamen olim colebatur, & idem dixit:
- Iuuen. Satyr. 13. *Est alius metuens, ne crimen poena sequatur,
Hic putat esse deos, & peierat, atque ita secum
Decernit, quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cacus teneam, quos abnego nummos.*
- ac rursus, de auaro:
- Iuuen. Satyr. 14. *Falsus erit testis, vendet periuria summā
Exiguā, Cereris tangens aramq, pedemq,*
- Petr. Dam. opusc. 31. c. 4. S. Aster. homil. de Auaritia. *Certè vbique tamquam Numini, Plurimus auro Venit honor. Certè non aliter quidam pecunias colunt, ac si quid diuinum illis inesset: pecunijs religionem, iustitiam, cælum, Deum postponunt. Petrus Damiani sua ætate, & S. Asterius, suo tempore plerisque, incen-*

re Iuliano Apostata, contigisse deplorant, multos ob auri spem in aliqua falsa secta affulgentem à recta fide deuiasse. Et hodie quoque ali quam multi temporalium bonorum esca, cum dispendio æternorum, in hæresi perseverant! Agnoscunt veritatem esse apud Catholicos, vident errores Lutheranos, aliorumque sectariorum; sed quia officium, quia hæreditatem, quia agros, aut domos amitterent, malunt cælum perdere, quam aurum; & potiùs dominis aureos montes promittentibus, quam Deo adherere. Hæc est illa misera seruitus, quam Deus minatur: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Diuitiæ sunt tales dii, qui requiem non dant suis amatoribus, neque sinunt eos vacare & videre, quam bonus sit verus Deus. Idcirco Christus disertè affirmat: *Non potestis Deo seruire, & mammona.* Errant ergo quicumque hoc facere tentant. Tentant autem innumeri; qui si hos, quos enumerauimus, diuitiarum fructus expenderent, profectò numquam de sua paupertate, vel de opibus amissis conquererentur.

Potiùs exclamarent in modum Constantini Manassis, qui cum stragem captiuorum à Chagano Scytharum rege, miserandâ scenâ editam, ob illiberalem Mauritij Imperatoris parcitatem, immò sordidam & crudelem auaritiam, describeret, in hæc verba prorupit. *O aurum tyranne crudelis, hominum persecutor, audacissime, fraudulente, arx malorum omnium, castellum perniciæ, vastator urbium, propugnaculorum euersor, murorum dilacerator, oppidorum oppugnantor, adiutor successor, qualibus malis mortales diuexas! Nulla res in hominum vita tecum in certamen descendere potest: nulla res terrena tecum potest in comparationem venire. Durum emollis, mollem induras: linguam mutam soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrem. Corda inflammas, & voluptate quadam demulces; sensus illecebris inenitabilibus, ceu prestigijs quibusdam excantas: cum interim venustas illa tua, non minùs veneno suo, quam vipera noceat. Leges & iura proculcas; verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas. Nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum frivolum quiddam est, ac fabula mera, vulgò quod dicitur; adamantem solum sanguine molliri. Quid enim esse re possit efficacius, etiam in saxis emolliendis?* Hæc Constantinus Manasses, quæ sunt verissima, Aconita, quia de veneno sunt infamata;

I nemo

Jerem. 16. 13.

Luc. 16. 13.

XVII.
In Annal.
num. 137.

Arnob. lib. 4.
aduersus
Gent.

nemo pro lactuca comedit: aurum tot titulis noxium homines adhuc gestiunt deuorare? semper famelici, numquam satiandi. Et, quod peius est, in ipso morbo, se sanos esse rati. Nullum enim ex omnibus inuenies, qui se auarum esse fateatur; plurimos tamen, qui sint sub hac idolorum seruitute; nec enim Numinum, sed idolorum. *Qui est enim, ait Arnobius, qui credat esse deos Lucros, & lucrorum consecutionibus præsidere, cum ex turpibus causis frequentissime veniant, & aliorum semper ex dispendijs constant?* Et paulò infra. *Quis deam Pecuniam esse credat, quam, velut maximum Numen, vestra indicant littera donare annulos aureos, loca in ludis atq; spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, & quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium?* Auari hanc Ethnicorum insaniam ab inferis reuocant; Deum verum spernunt, nummum pro Deo colunt; & hinc non solùm stulti, verùm etiam impij; qui oderunt, quod colendum, & volunt, quod execrandum.

C A P V T VI.

Immodica & stulta diuitiarum cupiditate, homines iram, vindictamq; DEI, & diuitiarum amissionem promereri: quamquam ex hac amissione nemo debeat indicari.

I;



On contemnendæ sunt parabolæ, apud Syros olim frequentatæ, ab ipso Seruatore nostro vsurpatæ, & à SS. quoque Patribus adhibitæ ad declarandas rerum veritates, quæ in similitudine explicatiùs planiusq; perspiciuntur. Itaque inter parabolas numero, quod Beda his verbis narrat. *Est avis quedam in India partibus, prope solis ortum, viginti alas habens, cuius voce audita, omnes somno & sopore sopiuntur: cuius vox per mille passus auditur. Huius avis magna vocabulum est Goballus. Est autem lapis in mari Oceano miri decoris, qui aliquoties apparet, aliquoties verò arenis praoperitur. Hac autem avis cum auiculam genuit nimis pulchram ac sonoram, videns lapidem in mari, sereno die, radiantem, illius desiderio rapitur, & volat, ut capiat eum, qua dum adhuc alas extendit, lapis arenis tegitur. Est autem cetus in mari magnus valde, qui cum viderit Goballum ad lapidem volantem, statim accurrit ad nidum huius, & auiculas*

Ven Beda in
Collectaneis
SS. PP.